CONSTITVTIONES MONACHORVM ORDINIS SANCTI BASILII.

CONGREGATIONIS ITALIAE.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

ROMAE, Apud Impreſſores Camerales.

M. D. XCVIII.

IVLIVS ANTONIVS

MISERATIONE DIVINA SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ EPISCOPVS CARDINALIS PRÆNESTINVS

vocatus Sanctæ Seuerinæ,

Dilectis nobis in Chriſto Venerabilibus Abbati generali, Prouincialibus, & Prioribus præſentibus et futuris Monaſteriorum, & Conuentuum Ordinis Sancti Baſilij Congregationis Italiæ ſalutem in Domino ſempiternam.

CVM præclarè admodum & copioſè Sanctus Pater Magnus Baſilius ſuis Monachis, qui mundum dereliquerant, & ſoli Deo vacare decreuerant pleniſſimas regulas ſui inſtituti præſcripſerit, tum in libro regularum fuſiùs diſputatarũ, lv. capitum; & in libro Regularum breuiorum, ſeu

per cõpendium diſputatarum, cccxiij. capitum; & in animaduerſionibus aduerſus canonicos, necnon aduerſus canonicas delinquentes; tum & in idem argumentum plura ſcripſerit in libro de conſtitutionibus Monaſticis, tam ad eos, qui in ſocietate & conuictu cum cæteris degunt, quàm ad eos, qui ab alijs ſeiuncti in ſolitudine vitam agunt, & in homilijs de aſceticis ſeu de exercitamentis Monachorum, & in ſermonibus de inſtitutionibus Monachorum, alijſq; opuſculis: quibus ex locis tanquam ex vberrimis fontibus regularis vitæ, & Monaſticæ diſciplinæ præcepta hauriri, legeſq; & inſtituta ad quamlibet Monachorum familiam informandam, regendamq; abũdè peti poſſunt; vt meritò fruſtra ſuſceptus labor omnis videatur, qui poſt tantam optimorum inſtitutorum, præceptorumq; copiam, nouis adhuc addendis præceptis, nouiſque condendis legibus inſumatur. Exemplo tamen præſtantium virorum, & regularis vitæ peritiſsimorum didicimus, non modò ſuperuacuum nõ eſſe, ſed contrà apprimè ſalutare veteribus nouas leges ſuperaddere. Siquidem multis poſt Magnum Baſilium ętatibus, non ità multò ante patrum noſtrorũ memoriam, Beſſarion Cardinalis eiuſdem inſtituti profeſſor, Nicænus primùm Archiepiſcopus, Patriarcha deinde Conſtantinopolitanus, ac veſtri Ordinis Protector, ad faciliorem Monachorum, qui in Italia degebant inſtitutionem, & reformationem, breue ex ipſius Sancti Patris Baſilij regulis compendium

pendium collegit, quod etiam è Græco Latinum & Italicum reddidit, ac veſtris patribus per Italiam edidit, & euulgauit, ac ſeruari iuſſit. Et cùm ſuperioribus annis mãdato fe. re. Gregorij Papæ xiij. reformationi Græcorum, & Congregationis veſtræ vnà cum alijs Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus daremus operam, tum alia multa, tum illud ipſum Beſſarionis Compendium Grȩca Italicaq; lingua typis excudendũ curauimus, & Monaſterijs veſtris per Italiam præſertim Siciliam, & Hiſpaniam, ac etiã alijs in Græcia conſtitutis diſtribui, & tradi fecimus. Nunc autẽ cùm veſtra Congregatio nuper erecta ſit, ad illam benè rectèq; inſtituendam, & gubernandam non ſolùm Regula ipſa S. Baſilij neceſſaria & ſalutaris eſt; verùm etiam ad illius introductionem, & praxim valde vtiles & opportunæ exiſtimari poſſent, ſi quæ ſpeciales conſtitutiones in ea fierent: ideo Abbates generales, alijq; veſtræ Congregationis Prælati, & qui veſtris Capitulis generalibus auctoritate Apoſtolica & Protectorum præfuerunt, operæpretium eſſe duxerunt, vt & hȩ ſpeciales conſtitutiones, ſeu ordinationes fierent. Nec abſurdum cuiquam videri debet, tam luculentis inſtitutionibus Sancti Patris Baſilij, has quoq; pro veſtra Congregatione Italica, cui propriæ non deeſſent, adijci conſtitutiones; nam & idem neceſſitate, vſu, & experientia fieri contigit in aliis præcipuis Religionibus, & Ordinibus regularibus; præſertim verò in alijs tribus Regulis, quæ ſunt à ſancta Sede Apo

ſtolica

ſtolica approbatæ, nempe Sancti Auguſtini, Sancti Benedicti, & Sācti Franciſci: Cùm enim ſub Regula Beati Auguſtini plurimi Ordines Canonicorū Regularium, & Lateranenſium, & Sancti Saluatoris, & alij atque etiam Mendicantium, vti Fratrum Prædicatorum, & Eremitanorum etiam S. Auguſtini & Seruorum Beatæ Mariæ, & Congregationes tam Monaſticę quàm Militares fermè triginta hodie militare dignoſcantur; omnes tamen conſtat habere diuerſas conſtitutiones vnicuique Ordini & Congregationi congruentes. Cùmq; Beati Benedicti Regulam plurimæ Religiones, & Monaſticæ Congregationes non ſolùm eiuſdem Sancti Benedicti, vt Caſinenſis, & aliæ plures, verùm etiam & Ciſtercienſis & Cluniacenſis, Vallis vmbroſæ, & ſimiles profiteantur quælibet tamen ipſarum proprias habet conſtitutiones: quemadmodum & fratres, qui ſub Regula Fratrum Minorum S. Franciſci viuunt, Conuentuales, & de familia ſeu de Obſeruantia, Capuccini, Reformati, & Diſcalceati, & reliqui diuerſas & proprias habent conſtitutiones, quamuis vnam profiteantur Regulam. Sed & Ordo Fratrum Carmelitarum, eiuſque Congregationes, qui eandem S. Baſilij Regulam profitentur; peculiares tamen & proprias conſtitutiones ſibi ſanxerunt. Qua ratione factum eſt vt & veſtræ Congregationis patres non fruſtra neque temerè; ſed prudenti conſilio vſi, & aliarum nobilium Religionum exempla ſequuti, & tum vel maximè

ximè vigore literarum Apoſtolicarum Gregorij Papæ XIII. (quibus vobis in Capitulo generali pro tempore congregatis licentiam tribuit, vt quæcunq; ſtatuta & ordinationes ad ſalutare ipſius Congregationis regimen, & ad regularem obſeruantiam pertinentia, licita tamen & honeſta, ac ſacris canonibus & Concilij Tridentini decretis, necnon Regulæ Sancti Baſilij minimè contraria condere poſſetis, ab ipſo tamen Cardinale pro tempore exiſtente veſtrę Congregationis Protectore examinanda & approbanda antequàm promulgarentur) ad faciliorem rectioremq; earum regularũ obſeruantiam, quæ à parente veſtro Baſilio traditæ ſunt, & per manus Beſſarionis ad vos peruenerũt, huiuſmodi nouas conſtitutiones in primo Capitulo generali conderent, quæ poſtea in tribus ſequentibus Capitulis generalibus recognitæ, examinatæ & probatæ fuerunt, & nobis vti veſtro Protectori pro illarum confirmatione exhibitæ & præſentatę. Quas quidem cùm & nos ab aliquibus religioſis, doctis & pijs viris inſpici & examinari fecerimus, & nos ipſi legerimus & recognouerimus, nihilq; in eis quod dictis literis Gregorij XIII. obſtaret deprehenſum ſit, illas quidem approbauimus & confirmauimus, prout & tenore præſentium approbamus & confirmamus, eaſquè, vehementer poſtulante Reu. fratre Theodoro Abbate generali eiuſdẽ Congregationis publicari, & typis edi atque ab omnibus & ſingulis eiuſdem Congregationis Monachis reci-

In Bulla inſtaurationis, & reductionis Ord. S. Baſilij §. Inſuper Abbati generali.

pi

pi & ſeruari mandauimus. Quocirca vos vniuerſos & ſingulos in Domino rogamus, requirimus, & monemus, vt eaſdem conſtitutiones in veſtris generalibus Capitulis ſancitas, & ordinatas, prompto & libenti animo obſeruandas ſuſcipiatis & retineatis: præcipientes vobis in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris eccleſiaſticis, & pœnis in eis cõtentis, vt illas vnà cum ipſa Regula S. Baſilij inuiolabiliter ſeruare, & perpetuò retinere ſtudeatis & debeatis: non obſtañ in contrarium facientibus quibuſcunque. Romæ, in ædibus noſtris, xviij. Kal. Iulij, anno à Natiuitate Domini. M. D. XCVIII.

INDEX

Capitum Conſtitutionum Monachorum Ordinis Sancti Baſilij Congregationis Italię.

CAPITA PRIMAE PARTIS.

De Capitulo celebrando. Caput primum.

De Scrutatorum electione. Cap. II.

De profeſſione facienda ab ijs qui profeſſi non ſunt, & Capitulo interſunt. Cap. III.

De electione Abbatis generalis, Viſitatorum, Diffinitorum, & Procuratoris in Curia. Cap. IIII.

Qui, & ex quibus Monaſterijs ad Capitulum generale mitti debeāt; de eorum electione, & officio; deq; rationibus Monaſterij per Priores ad Capitulum generale deferendis. Cap. V.

De poteſtate Abbatis generalis, Viſitatorum, & Diffinitorum. Cap. VI.

De Procuratore in Curia. Cap. VII.

Quamdiu poteſtas Abbatis generalis, Viſitatorum, & Diffinitorum duratura ſit: de loco celebrãdi Capituli: de numero Viſitatorum, & Diffinitorum: de tranſmiſſione ex vna in aliam Prouinciam, &

†† quædam

quædam ad electionẽ Abbatis generalis pertinentia. Cap. VIII.

Quotannis Abbas generalis, Viſitatores, & Diffinitores conuenire debent in locum vnum. Cap. IX.

De eligendo in locum Abbatis generalis defuncti. Cap. X.

De ratione viſitandi Monaſteria per Abbatem generalem, & Viſitatores. Cap. XI.

De ordine præcedentiæ, & loco ſedendi. Cap. XII.

De electione Prælatorum, & quam diligentiam in ſuo quiſq; regendo Monaſterio adhibere debeat. Cap. XIII.

De ijs, qui in locum Prælatorum defunctorum ſuccedunt. Cap. XIIII.

De officio Prælatis, & Procuratoribus prorogando, & quæ Monachis prohibeatur. Cap. XV.

De mutatione Monachorũ ex vno in aliud Monaſterium. Cap. XVI.

De poteſtate Vicariorum in vnoquoq; Monaſterio. Cap. XVII.

De Magiſtris Nouitiorum. Cap. XVIII.

De Nouitijs. Cap. XIX.

De Oblatis, & Conuerſis. Cap. XX.

De Seminarijs puerorum ad propagandam Religionẽ, & Nouitiatibus inſtituendis. Cap. XXI.

De promouendis ad Ordines tum minores, tum ſacros. Cap. XXII.

De

De Cellerarijs eligendis, eorum officio, de pecunia cuſtodienda, & inſumenda. Cap. XXIII.

De ijs, qui in Monaſterijs viuunt, & nondum ſunt profeſſi. Cap. XXIIII.

CAPITA SECVNDAE PARTIS.

De officio recitando, & diligentia, ac reuerentia in Choro ſeruanda. Caput primum.

De horis diuini Officij celebrandi. Cap. II.

De Conuentuali Miſſa celebranda. Cap. III.

De Sacramento Confeſſionis, & Communionis ſuſcipiendo. Cap. IIII.

De caſuum reſeruatione. Cap. V.

De oratione mentali. Cap. VI.

De clauſura Monaſteriorum ſeruanda, de cuſtodia ianuæ, & de ijs, qui exeunt à Monaſterio. Cap. VII.

De modeſtia, & religioſitate ſeruanda in verbis, & actionibus, & de pœnis tranſgreſſoribus conſtitutis. Cap. VIII.

De ieiunijs ſeruandis. Cap. IX.

De eſu carnium. Cap. X.

De lectione ad menſam, & ratione miniſtrandi. Cap. XI.

De ſilentio ſeruando, & recreatione. Cap. XII.

De communi labore, & opere. Cap. XIII.

De diſtribuendis in quolibet Monaſterio officijs. Cap. XIIII.

De Capitulo tenendo quolibet Sabbatho. *Cap. XV.*
De paupertate. *Cap. XVI.*
Prælati iubentur Monachis neceſſaria ſubminiſtrare. *Cap. XVII.*
Quid faciendum in ijs Monaſterijs, quæ neceſſaria Monachis ſubminiſtrare non poſſunt. *Cap. XVIII.*
De veſtimentis, & rebus alijs, quas ſubminiſtrare Monachis neceſſe eſt. *Cap. XIX.*
Cellas, & arcas claue clauſas, qua ratione Monachi teneant. *Cap. XX.*
De cura Prælatorũ circa harum rerum obſeruantiam. *Cap. XXI.*
Has Conſtitutiones, & Regulas S. Baſilij legi debere in mẽſa ſemel in hebdomada. *Cap. XXII.*

DECRETA,

SEV CONSTITVTIONES

MONACHORVM ORDINIS S. BASILII CONGREGATIONIS ITALIAE.

Tam ad Capitulum generalē celebrandum, electionesq́; Prælatorum faciendas, quàm ad morum reformationem, & diſciplinæ obſeruantiam pertinentia.

Prima pars, de ijs, quæ pertinent ad Capitulum generale celebrandum, & electiones Prælatorum faciendas.

De Capitulo celebrando. Caput primum.

VIGILIA Pentecoſtes cantata Miſſa, vt moris eſt, ad implorandum Spiritus Sancti auxilium, celebraturi Capitulum ad ſonum campanulæ in locum deputatum conueniant. Ibi denuo ante omnia, Dei debent implorare auxilium, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Fiet oratio non mentalis ſolùm; ſed etiam vocalis; prout Superiori expedire videbitur, & opportunum eſſe iudicabit. Deinde à Superiore, ſiue ab alio, qui ad id munus iudicetur idoneus, habebitur ſermo, ſiue exhortatio ad Patres, qui ei Capitulo debent intereſſe: vt ea omnia ab eorum cordibus longè

fiant, quæ rei tanti momenti, & electioni, quæ facienda eſt, eſſe poſſunt impedimento, vt electio, quæcunque fiat, non ab ipſis principaliter, ſed à Spiritu Sancto, eorum voluntates regente & mouente, facta eſſe cenſeatur. Quod quidem tunc dignè fiet, ſi vniuſcuiuſq; eorum ad id tendat intentio, vt ij tantùm eligantur, qui ſecundùm ſacros canones, ac potiſſimùm ſacri generalis Concilij Tridentini, & regulam S. Baſilij, ætate, merito vitæ, doctrina, & prudentia idonei iudicati fuerint.

De Scrutatorum electione. Cap. II.

HIS peractis, ad Scrutatorum electionem veniatur: ij numero quatuor eſſe debent. Horum officium eſt, eligentium omnium vota diligenter perquirere, & eligentibus inde fideliter propalare. Eorum electio à Prælatis omnibus fieri debet, per ſecreta ſuffragia, ſiue per calculos, aut balottas, ſiue per ſchedulas: ijque tantùm eligantur, qui in actibus Capitularibus vocem tantùm actiuam habent, niſi neceſſitas poſtularet, atque vrgeret, vt etiam ex ijs, qui paſſiuam habent vocem, eligi neceſſe eſſet: & ex ijs, qui eligentur, quatuor tantùm, qui plura vota, quàm cæteri ſortiti fuerint, cenſeantur legitimè electi. Quòd ſi plures in votis fuerint pares, ij præferantur, atq; electi cenſeantur, qui priùs habitum religionis acceperint.

De profeſſione facienda ab ijs, qui profeſſi non ſunt, & Capitulo interſunt. Cap. III.

SEQVENTI die, qui erit dies feſtus Pentecoſtes, antequàm veniatur ad electionem Abbatis Generalis, Viſitatorum, Diffinitorum, & Procuratoris in Curia, vt electio ſit legitima, & ſecundùm Canones fiat, omnes, qui in

Capitulo actiuam,& paſſiuam vocem habere prætendunt, ſi nondum ſunt profeſſi,expreſſam profeſſionem triũ votorum ſubſtantialium, coram Deo, & Præſidente propria manu ſcriptam emittere teneantur. Quod vt meliùs fiat, atque illuminationem illam Sancti Spiritus conſequantur,quam illo potiſſimum die optamus omnes conſequi, vniuſcuiuſque illorum mens ſic ſe præparet per Sacramentum Pœnitentię, & Sacratiſſimæ Euchariſtiæ perceptionem, vel celebrando, vel eam de manu Sacerdotis percipiendo,vt cum profeſſione,& gratiam Spiritus Sancti percipiant, & id, quod optant, quàm optimè explere valeant. Contradicentes verò, atque repugnantes profeſſioni faciendæ,non modò actiua, & paſſiua voce priuentur, verùm etiàm inhabiles ad quaſcunque dignitates, atque officia in præſenti Capitulo inſtituenda, atque diſtribuenda,omnino reddantur. Et tamdiu in hoc ſtatu in Congregatione remaneant, quamdiu ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino Cardinale huius Ordinis Protectore aliter de illis iudicatum fuerit. Vt autem in Capitulo ſciatur,qui profeſſi ſint, & qui nondum profeſſi, promulgetur excommunicatio latæ ſententiæ,ne quis non profeſſus audeat ſe Capitulo ingerere, & vt quicunque de Capitulo ſcierit aliquem ex ijs,qui ſunt in Capitulo,nondum eſſe profeſſum,denunciare, & palam facere toti Capitulo teneatur.

De electione Abbatis Generalis, Viſitatorum, Diffinitorum,& Procuratoris in Curia. Cap. IIII.

SCRVTATORIBVS electis, & profeſsione facta ad electionem Abbatis Generalis, Viſitatorum, Diffinitorum, atque Procuratoris in Curia procedatur. Vniuſcuiuſque in ſuo ordine electio facienda eſt. Ac primùm in primo ſcrutinio omnes eligi poſsint: deinde ex ijs, qui electi fuerint ſecernantur octo, qui plura vota habuerint:

rint:& ex ijs octo eligantur, primò Abbas Generalis, ſecundò Viſitatores: tertiò Diffinitores: quartò Procurator in Curia. Eligi autem debent ex ijs tantùm, qui præſentes in Capitulo fuerint; & qui in Congregatione ſaltem per decennium fuerint, trigeſimum ætatis annum attigerint; & Ordinem Sacerdotalem legitimè ſuſceperint; & ſint de numero Priorum perſonaliter comitia generalia eo tempore celebrantium: Iſq; cenſeatur Abbas Generalis, Viſitator, Diffinitor, atque Procurator in Curia, in quem in ſua electione plura vota concurrerint; eo modo, quo ſacri Canones decernunt. Et ſi qui pares fuerint in votis, is præferatur, & legitimè electus cenſeatur, qui priùs in Congregatione habitum ſumpſit: Huiuſmodi autem electio fiat iuxta ſtatuta dicti ſacri Concilij Tridentini, per vota ſecreta, ſcilicet per balottas, aut fabas clam ponendas in ſacculum, aut vas ad id paratum: Scrutatores autem notent diligenter, & fideliter, vt dictum eſt, in ſchedula omnia vota ſingulorũ, qui eliguntur. Atq; ita facta omnium electione, pronuncient coram omnibus de Capitulo, vota vniuſcuiuſq; vt in ſchedula fuerint notata: eoſque legitimè electos pronuncient in Abbatem Generalem, in Viſitatores, in Diffinitores, atq; Procuratorem in Curia, in quem, vel quos viderint plurima vota concurrere.

Qui, & ex quibus Monaſterijs ad Capitulum generale mitti debeant; de eorum electione, & officio: deque rationibus Monaſterij per Priores ad Capitulum generale deferendis. Cap. V.

PRIORES tantùm Monaſteriorum Conuentuales, aut eorum diſcreti ad comitia generalia proficiſci poterunt. Conuentuales autem non ex omnibus Monaſterijs mittentur: ſed ex ijs tantùm, in quibus ſaltem ſex Monachi verſantur, non pauciores: Eligentur autem ſinguli

guli ex ſingulis Monaſterijs, qui Priorem ſuum comitentur. Illorum autem electio fiat, non per voces, ſed per ſortes, & Sacerdotes tantùm eligi poſſint; aut ij etiam, qui ſacris Ordinibus fuerint initiati. Sacerdotum igitur nomina, & eorum, qui ſacros Ordines ſuſceperint, in vrnam conijciantur: neq; alij poſſint in hanc ſortitionem ingredi; & is, cuius primùm nomen eductum fuerit ex vrna, cenſeatur electus in Conuentualem eius Monaſterij. Huic igitur Conuentuali ad hunc modum electo, ad aurem dicantur omnia, quæ Monachi voluerint ad Capitulum generale perferri: Conuentualis autem, hoc modo electus, ſecretum teneat quicquid à fratribus ſibi commiſſum fuerit. Monachi autem ijſdem de rebus litteras dabunt fideliter, & ſecundum veritatem ſcriptas ad Patres Capituli: Quibus litteris certiores facient Patres Capituli de rebus quibuſcunque ad Monaſterij ſpiritualem, aut temporalem vtilitatem, ſiue bonam gubernationem pertinentibus. Electus autem Conuentualis litteras ſibi creditas fideliter perferet, reddetque Capitulo, propoſita carceris pœna, ſi ſecus fecerit. Prior autem, & Conuentualis ad Capitulum proficiſcẽtes, ſecum afferant litteras teſtimoniales, vt vocant, à Patribus Monaſterij ſubſcriptas, ſigilloque munitas. R. Prior ſecum afferat taxam, quam ad expenſas capitulares pro ſua rata conferre debet: Afferat etiam Patri Abbati Generali dimidium taxatæ pecuniæ ad illius ſuſtentationem, quæ eſt trium ex ſingulis centenis: Afferat etiam catalogum Monachorum, quibus in ſuo Cœnobio præeſt, & per breuem ſummam tabularum ſumptuariarum Monaſterij diſtinctè, & ordinatè ſcriptam, & ſubſcriptam à Presbyteris Monachis: item an aliquo ære alieno grauetur; an non.

De poteſtate Abbatis Generalis Viſitatorum, & Definitorum. Cap. VI.

POSTQVAM igitur ea ratione, quæ dicta eſt Ca-

pitulo

pitulo quarto, electi fuerint Abbas Generalis, Viſitatores, ac Diffinitores, intelligatur eos vniuerſam Congregationem repræſentare, iiſque à Capitulo tributam eſſe poteſtatem audiendi, cognoſcendi, iudicandi, atque determinandi, prout illis optimum viſum fuerit, quicquid ad vtilitatem & commune bonum Congregationis in eo Capitulo tractabitur: ad illos etiam pertinere promotionem quãcunque illorum, qui de Congregatione ſunt, tam ad gradus, & cæteras dignitates in Congregatione dari ſolitas, quàm etiam ad quoſcunq; Ordines ſuſcipiendos: idemq; intelligendum eſt de remotione, ac ſuſpenſione eorundem. Quæcunq; etiam ab illis ordinata fuerint, tum in Capitulis generalibus de triennio in triennium celebrandis, tum etiam in cæteris Congregationibus intra triennij tempus neceſſariò faciendis, ab omnibus inuiolabiliter obſeruentur. Eorum præterea poteſtas durante triennio, ſemper eadem & immutabilis maneat: niſi fortè ob aliquam cauſam rationabilem aliud ordinandum eſſet. In defectum verò alicuius iſtorum, vel per mortem, vel per aliam cauſam, liceat Reuerendiſſimo Abbati Generali, ſimul cum Viſitatoribus, alium de numero Prælatorum ſubrogare. Ipſi autem Abbati Generali ab omnibus omnimoda reuerentia, & obedientia, veluti Patri totius Congregationis, exhibeatur; atque omnibus in locis ſigna præeminentiæ, tam generalia, quàm particularia retineat; & primam ſedem in Choro teneat; omneſq; de Congregatione, tam Prælati, quàm priuati, exituri de Monaſterio, reuerenter priùs ab ipſo genibus flexis benedictionem accipiant: ſigillum quoque Congregationis tam ipſe, quàm Viſitatores apud ſe ſemper habeant, quo litteræ, quæ bonum Congregationis concernentes, tum ad alios, tum ad Monachos dántur, ſignari poſſint: necnon acta omnia, & ordinationes ab ipſis in Capitulo generali, cæteriſque Congregationibus, vel tempore viſitationis éditæ, eodem ſigillo muniri.

niri. Litteræ verò huiuſmodi à nullo,cuiuſcunque dignitatis ſit,aut conditionis,aperiantur,niſi ab his,ad quos fuerint directæ, vel de eorum licentia, ſub pœna priuationis officij, vel dignitatis, ſi ſit in dignitate conſtitutus, aut deiectionis in vltimum Profeſſorum locum, per tres menſes duraturæ: Abbatis quoque generalis Monaſterium determinatum nullum ſit;ſed in quocunque voluerit habitabit: curetur tamen, vt non vnum magis, quàm aliud Monaſterium grauetur,ſed onus eum alendi, ac ſuſtentandi omnibus æqualiter imponatur,taleque ſit, vt illud Monaſteria ferre valeant, nempe quod ſatis ſit ad ipſius,& Scribæ vnius victum,& veſtitum,& ad famulos neceſſarios alendos, & ſuſtentandos. Cùm autem ad viſitanda Monaſteria cum Patribus Viſitatoribus proficiſcetur,contentus erit taxa trium ex ſingulis centenis, donec illi à Sãcta Sede Apoſtolica,vel ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſsimo Domino Cardinale Protectore prouiſum fuerit de annua victus ſuppeditatione, quam cum conſequutus fuerit,prædictam Monachis taxam relinquet.

De Procuratore in Curia. *Cap. VII.*

PROCVRATOR in Curia tempore Capituli generalis tantùm aſſiſtat, & præſens ſit omnibus, quæ fiunt in Capitulo, & ſummatim notet quicquid ab Abbate Generali, Viſitatoribus, ac Diffinitoribus determinatum fuerit, relaturus deinde omnia, ſi opus erit, ad Illuſtriſsimum & Reuerendiſsimum D. Cardinalem Protectorem:teneatq; locum poſt omnes Diffinitores,tam in ipſo Capitulo,quàm in omnibus alijs locis: Poteritq; ſequenti Capitulo confirmari in alterum triennium, ſi ita expediens viſum fuerit Patribus ijs, qui ſequens Capitulum celebrauerint:ſed vltra alterum triennium confirmari non poſsit. Prouideatur illi de expenſis neceſſarijs ſecundùm diſpoſitionem

Ca-

Capituli generalis, ita vt vnumquodq; Monaſteriorum totius Congregationis, pro rata, contribuere teneatur.

Quamdiu poteſtas Abbatis Generalis, Viſitatorum, & Diffinitorum duratura ſit: De loco celebrandi Capituli: De numero Viſitatorum, & Diffinitorum: De tranſmiſſione ex vna in aliam Prouinciam: Et quædam ad electionem Abbatis Generalis pertinentia.

Cap. VIII.

PRAEFATI verò Abbas Generalis, Viſitatores, ac Diffinitores per triennium ſint in ſuo quiſque officio, & poteſtate: perfuncti verò triennio, ſaltem per aliud triennium ad minimum vacent: eorumq́; poteſtas, & officium ad alios in ſequenti Capitulo eligendos transferatur. De ſpeciali tamen gratia, ſi ita ſequens Capitulum celebraturis viſum fuerit, ob maiorem vtilitatem Congregationis, Abbas Generalis, vltra triennium, per alterum triēnium confirmari poſſit, & non amplius. Quoniam autem, vt ſuprà dictum eſt, quilibet in officialibus eligēdis ei ſemper ſuffragari debet, quem digniſſimum eſſe ſua ſibi præſcribet conſciētia, idcirco volumus Generalem Abbatem ſemper eum eligi, qui vitæ probitate, doctrinæ præſtantia, & rerum agendarum peritia, atque experientia facilè cæteris antecellit. Nihil verò intererit Abbatem Generalem modò ex vna, modò verò eligi ex alia Prouincia ſed ſi in Abbatem Generalem aliquis, vt pote magis idoneus, fuerit inſtitutus, qui ſit ex ea Prouincia, ex qua fuerit eius prædeceſſor, non ob id excludendus erit, ſed legitimè cenſeatur electus, quippe qui digniſſimus fuerit iudicatus, ob plura, quę cæteri pro ipſo tulere ſuffragia. Item volumus non eſſe præſcriptum certum locum, in quo ſemper comitia generalia celebrentur: ſed

prout

prout incerti rerum euentus poſtulabunt, modò hîc, modò illic celebrari. Quare in ſingulis Capitulis generalibus locus, in quo proximè futurum Capitulum celebrandum erit, deſignabitur: cauſaq; explicetur, cur in eo potiſsimum loco celebrandum eſſe iudicetur. Pro ſingulis verò Prouincijs, Sicilia nimirum, Calabria, & Hiſpania, ſinguli Viſitatores, & bini Diffinitores eligantur, qui ſint eiuſdem illius Prouinciæ. Volumus in qualibet Prouincia tot eſſe Priores, quot fuerint Prioratus: Quod de reliquis quoque Superioribus ſentiendum eſt. Poſſint tamen vnius Prouinciæ Prælati, ac Monachi in alteram tranſmitti, vt mutua charitas, conſenſuſq; ſeruetur Religionis.

Quotannis Abbas Generalis, Viſitatores, & Diffinitores conuenire debent in locum vnum. Cap. IX.

DVOBVS intermedijs annis, quibus Capitulum generale non celebrabitur, ſemel ſaltem quolibet anno congregentur Abbas Generalis, Viſitatores, ac Diffinitores in aliquod Monaſterium, quod illis commodius cæteris, atque opportunius viſum fuerit, eoque nullus, neq; Prælatorum, neque Monachorum accedat, niſi de licentia eorumdem in ſcriptis danda: ſed ſi opus fuerit, per litteras ea, quæ pertinebunt ad vtilitatem Monaſterij, aut perſonarum, ipſis exponant: ipſi verò Prælati cum Dei amore prouideant, atque determinent quicquid prouidendum, atque determinandum neceſſariò fuerit.

De eligendo in locum Abbatis Generalis defuncti. Cap. X.

SI fortè intra annum, vel intra tempus, in quo Capitulum generale nõ celebratur, Abbas Generalis ex hac vita deceſſerit, in eius officium, atque generalatum primus Viſitator ſuccedat, qui eandem auctoritatem, quam

viuens prædeceſſor habebat, & ipſe habeat, atque fungatur vſque ad ſequens Capitulum celebrandum; qui ſi tantùm per annum,& non ampliùs,huiuſmodi exercuerit officium, poterit per ſequens Capitulum confirmari.

De ratione viſitandi Monaſteria per Abbatem Generalem,& Viſitatores. Cap. XI.

ABBAS Generalis,ſimul cum Viſitatoribus ſingulis annis,examinatis priùs Monaſterijs, atq; peracto Capitulo,Prouincias inter ſe partiantur,& Monaſteria: deinde poſt feſtum Aſſumptionis Beatiſſimæ ſemper Virginis, ſua quiſque Monaſteria, quæ in diſtributione cuique obtigerint, omni diligentia viſitabunt; & diligenter inquirent à Prælatis,& à Monachis, an ea,quæ in Capitulo generali ſtatuta fuerint, ſeruentur; & prout ipſi inuenerint,& expedire iudicauerint, corrigendos corrigent, & puniendos punient,cum charitate tamen,& vt ad vtilitatem animarum, & ædificationem conducere iudicauerint. Exactamq; informationem de quolibet Monaſterio, tam in ſpiritualibus, quàm in rebus temporalibus ab ipſiſmet Prælatis,atque Monachis,qui in eiſdem Monaſterijs habitant, habere ſtudeant, Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Domino Cardinali Protectori,ſi opus fuerit,inde relaturi: duoſque ex Diffinitoribus Abbas Generalis ſecum aſſumat, qui ei in viſitationibus ſemper aſſiſtant,tertium primus Viſitator,& quartum ſecundus, qui ſimul cum eis tractent,& determinent quicquid tractandum,& determinandum fuerit. Id verò, vt commodiùs fiat, præfati Diffinitores quilibet cuilibet deputandi, non longè à prædicto Generali,atq; Viſitatoribus, ſed prope, quoad eius fieri poterit,deputentur:Monaſterium verò Cryptæ Ferratæ, Abbas Generalis,ſimul cum Procuratore, ad vitandas expẽſas,viſitare poterit.Prouideatur de expenſis,habita conſideratione illorum, ipſis Viſitatoribus, ratione itineris neceſſarijs,

rijs, eo modo, quo dictum eſt de Procuratore, & Abbate Generali.

De ordine præcedentiæ, & loco ſedendi. Cap. XII.

ORDINEM præcedentiæ in Congregatione ita ſinguli teneant, vt Abbas Generalis omnibus in locis primum locum ſupra omnes teneat; poſt ipſum Viſitatores ſecundum profeſſionem; poſt Viſitatores, teneāt Diffinitores; poſt Diffinitores, Procurator in Curia; deinde Prælati; poſt Vicarij; deinde ſequantur Magiſtri Nouitiorum, & Cellerarij ſeu Procuratores; Hi ita locum inter ſe teneant, vt prælati Monaſteriorum, quibus ſpecialiter deputati ſunt, alijs Prælatis etiam ſecundum profeſsionem ſuperioribus, in ſuis Monaſterijs præcedant: ſic dicendum de Vicarijs, Magiſtris Nouitiorum, & Procuratoribus: cæteri verò omnes tempus, quo habitum ſumpſerunt in Monaſterijs, ſequantur.

De electione Prælatorum, & quam diligentiam in ſuo quiſque regendo Monaſterio adhibere debeat. Cap. XIII.

PRAELATI, ſiue Priores Monaſteriorum à Capitulo generali diuerſis Monaſterijs deputandi, non quilibet eligantur, ſed ij tantũmodo, qui trigeſimum ætatis annum attigerint, & in Monaſterio, ſeu in Congregatione, ſaltem per decennium habitum geſſerint, atq; profeſſione ſuppoſita, Sacerdotalem Ordinem legitimè in Congregatione, vel extra ſuſceperint: potiſſimum verò quantum humana fragilitas patitur, ij tantùm eligantur, qui præter prædicta, merito vitæ, & doctrina, & prudentia cæteros antecellant, ijſque in Monaſterijs ab omnibus, vt par eſt, obedientia præſtetur, nihilque fiat abſque eorum voluntate: ab ipſis etiam omnes genibus flexis, cùm de Monaſterio exeunt, ac cùm reuertuntur, humiliter benedictionem petant. Contrà

trà Prælati ipſi, vt par eſt, ſubditis ſibi Monachis, prout poſſibile fuerit, de rebus ad vitam illorum, & ſpiritualem, & temporalem neceſſarijs, taliter prouideant, vt murmurationis occaſio, eo modo, quo ſit poſſibile, omnino à Monaſterijs tollatur: ſuper omnia prudentia, tanquam magiſtra regiminis, ſemper vtãtur, vt ſi vna via ad eum finem, quẽ optant, peruenire non poſſint; alia tamen via, pro locorum, ac temporum varietate, pro diuerſarum perſonarum conditione, quò tendunt perueniant, vt finem illum, quem volumus, omnes tandem conſequantur, & membra omnia in vno corpore, cuius caput eſt Ieſus Chriſtus, per charitatem vniãtur: id ipſum omnes ſapiant, id ipſum velint, & optent. Ante omnia autem tam ipſi, quàm omnes regimini deputati, Euangelium Chriſti, & regulam Sancti Baſilij, quam profeſſi ſunt, ob oculos habeant, ac diligenter, quãtùm fieri poteſt, & ipſi obſeruẽt, & ab alijs obſeruandam curent, illamq; in cordibus ſemper habentes, & intrinſecus ad illam animum ſuum cõformare, & extrinſecus in omni actione, & ſermone illam exprimere ſtudeãt; quatenus ſpiritualis omnium ædificatio, prout temporum, locorum, & perſonarum ratio poſtulabit, iuxta eiuſdem ſanctiſsimi viri dictũ, ab omnibus procuretur. Sedulò igitur curent Prælati, vt ea omnia in Monaſterijs ſuis ſeruentur, quæ à Capitulo generali ordinata fuerint, grauiter, ſi neglexerint, à Viſitatoribus puniendi, ac etiã, ſi opus fuerit, officijs priuãdi, vt domus Dei dignè à dignis, & laudabiliter gubernetur.

De ijs, qui in locum Prælatorum defunctorum ſuccedunt.
Cap. XIIII.

SI Prælatorum aliquis ex hac vita ad Dominum migrauerit, is, qui immediatè in Monaſterio illum ſequebatur, quouſq; prouiſum fuerit, Monaſterium eo modo, atque auctoritate gubernet, & regat, qua Prælatus viuens regebat, ſtatimque de morte eiuſdem Abbatem Generalem

certiorem faciat, qui quàm citiſſimè poterit, illi Monaſterio de idoneo Prælato prouideat. Et ne contingat cauſa harum electionum, quæ fieri debent ab iis, qui ſunt de regimine, vti dictum eſt, ſimul congregatis, nimijs expenſis grauari Congregationem, volumus præter eum Prælatorum numerum, qui à Capitulo generali ſingulis Monaſterijs præficientur, decem alios ex ipſis Monachis vtriuſque Prouinciæ eiuſdem conditionis, ætatis, & vitæ, cuius Prælati eſſe debent, ad prælaturam habilitari; vt Prælato aliquorum Monaſteriorum decedente; Abbas Generalis per ſe ipſum, vnum ex illis Monaſterio Prælato carenti deputare poſſit; qui, cùm primùm ſtatuto tēpore dictus Generalis, cum Viſitatoribus, & Diffinitoribus, quod fit ſemel in anno, cōgregati fuerint, confirmari debeat, maiore illorum parte per vota ſecreta concurrente.

De officio Prælatis, & Procuratoribus prorogando: & quæ Monachis prohibeantur. Cap. XV.

PRAELATI, atque Procuratores non modò per triennium Monaſterijs, quibus præſunt, verùm ſi vtiles admodum ijs fuerint, per alterum triēnium, & ſic per ſexennium in ijſdem Monaſterijs confirmari poſſint: ita tamen, vt ſemper ad arbitrium Regiminis, ideſt, Abbatis Generalis, Viſitatorum, & Diffinitorum, quoties opus fuerit, amoueri poſſint. Porrò Prælati ipſi licentiam Monachis concedere nō poſſint, niſi Procuratoribus Monaſteriorum, quoquam proficiſcēdi vltra triginta milliaria longè à Monaſterijs. Nullus præterea Monachorum, exceptis Prioribus, & Procuratore generali, ob grauiora tamen negotia, ad Abbatem Generalem, aut Viſitatores ſe conferat, niſi de eorumdem ipſorum, quos adire velint, licentia in ſcriptis expreſſa. Quod ſi quis aliter fecerit; per ſex menſes in carcerem detrudatur. Præterea quælibet venatio, propter ſcandala, quæ

ex ipſa oriuntur Monachis interdicitur. Omnia etiā armorū genera ſint illis prohibita, iuxta ſacrorum Canonū ſtatuta.

De mutatione Monachorum ex vno in aliud Monaſterium.
Cap. XVI.

MVTATIONES Monachorum de Monaſterio in Monaſteriū non paſſim, aut de facili fiant, ſed tantūmodo cauſa manifeſtæ infirmitatis, ſalutis animarum, & neceſsitatis locorum, teneanturq; Monaſteria à quibus diſcedunt, & ad quæ acceſſerint, vnumquodq; pro illorum rata, expenſas itineris ſubminiſtrare, & prouidere, quę neceſſaria ſunt. Monachi verò tranſmigrantes ſecum deferant patentes obedientiæ litteras, & per Monaſteria tranſeuntes à Superioribus omni humanitate veluti eiuſdem corporis membra recipiantur, ibiq; tamdiu maneant, quàm diù ſuperioribus viſum fuerit neceſſarium: ipſiq; omnibus in locis Prælatis obedientes ſint, ac recto itinere ad locum deputatum pergant.

De poteſtate Vicariorum in vnoquoq; Monaſterio.
Cap. XVII.

CONSTITVANTVR quoque per Capitulum generale in quolibet Monaſterio Vicarij, qui vicem Prælatorum in eorum abſentia, eo modo, quo illi diſpoſuerint, in omnibus gerant, ipſiq; teneantur ea omnia obſeruare, ad quæ Prælati, ſi præſentes eſſent, tenerentur. Quorum conſtitutio, aut promotio, item & remotio ad regimen pertineat, locumq; poſt Prælatos teneant immediatè. Prælati verò, quoties opus fuerit pro bono Congregationis, aut Monaſterij longè à Monaſterijs abeſſe, Vicarijs declarabunt, quam velint eos auctoritatem habere, tam in ſpiritualibus, quàm in rebus temporalibus, non tamen pro libito id

to id faciant; verùm rationabiliter, & cum Dei timore, ac iuxta regulæ, & ordinationum ſtatuta. Subditi verò eam obedientiam illis, atque reuerentiam exhibeant, quam Prælatis præſentibus exhibebant.

De Magiſtris Nouitiorum. *Cap. XVIII.*

MAGISTRI Nouitiorum, qui pro tempore erũt, de gremio Congregationis eligantur eiuſdem ætatis, cuius Priores, & qui ſaltem in Congregatione per decennium fuerint, periti, & idonei ad id munus obeundum, bonæ famæ, ab omnibus, maximè à prudentibus, & ſani iudicij Patribus teſtimonium habentes. Et quia Nouitiatus ſeminaria Congregationis ſunt, & ad Congregationem promouendam, & augendam plurimũm proſunt: idcirco ſtatuitur, vt locum immediatè poſt Vicarios teneant: auctoritatem quoque Monachos corrigendi, tam ipſi, quàm Vicarij, & Procuratores habeant, prout opus erit, & locus & tempus poſtulabunt; & res ipſa feret: in cauſis verò grauioribus Prælatis remittant.

De Nouitijs. *Cap. XIX.*

CIRCA Nouitios, qui pro tempore auctoritate Capituli in Monaſterijs recipi debent, quantum ad probationem, regula in omnibus ſeruetur: Quantùm verò ad ætatem decretum Concilij Tridentini, vt non ante decimum ſeptimum ætatis annum ad profeſſionem admittantur, ac etiam in probatione per annum in Monaſterio fuerint. Laudabilius tamen, ac rationabilius fuerit, ſi vigeſimo ætatis eorum anno recipiantur: ad profeſſionem verò non admittantur, niſi pars maior Capituli ipſius Monaſterij per vota ſecreta conſenſerit.

De Oblatis & Conuerſis. Cap. XX.

PRAETER Nouitios clericos diuinis officijs præcipuè mancipandos, veſtiantur etiam in Monaſterijs Oblati, ſiue Conuerſi, qui diuerſis operibus, aut ſeruitijs manualibus à Superioribus deputentur, proût illis meliùs viſum fuerit, ipſiq; etiam in probatione per annum ſint, quo elapſo profeſsionem emittant eo modo, quo ſacri Canones ſtatuunt, habitumq; diſtinctum à Clericis deferant abſque caputio; in capite tamen biretum tantùm Monachale deferentes cum haſta.

De Seminarijs puerorum ad propagandam Religionem, & Nouitiatibus inſtituendis. Cap. XXI.

ATQVE vt id, quod dictum eſt, melius atque faciliùs fieri poſsit, conſtituantur in locis, atque Ciuitatibus ad id opportunis ſeminaria puerorum expenſis Monaſteriorum illius Prouinciæ, pro qua ſeminaria fiunt, illicque pueri, auctoritate tamen Viſitatoris illius Prouinciæ, non recipiantur, niſi annum duodecimum attigerint, & decimum ſextum non exceſſerint: quibus deputetur talis Magiſter, qui eos, non modò Græca lingua ſimul & Latina ſufficienter inſtruat: verùm etiam bonis moribus quàm diligentiſsimè informet, vt tales euadant, qui hanc religionem ſubleuare & augere poſsint: eaque viuendi ratio illis præſcribatur, & in ijs regendis ea ratio ſeruetur, quæ in cæteris ſeminarijs benè inſtitutis ſeruari ſolet. Quod verò ad numerum attinet, tot eſſe debent, quot poteſtas, aut facultas Monaſteriorum ferre poterit. Eſſet verò in primis commodum, atque laudabile, vt ijs Magiſtri deputentur, qui de gremio Congregationis ſint. Pueri autem cùm fuerint ſufficienter inſtructi, atque ad ætatem ſecundum ſtatuta legitimam peruenerint, poterunt per Abbatem Generalem, atque per Viſitatorem

illius

illius Prouinciæ ad Monaſteria, quæ habẽt Nouitiatus,ad ſu ſcipiendum Religionis habitum mitti; & quot defuerint de numero in quibuslibet Seminarijs præſtituto, tot de auctoritate præfatorum ſuppleantur,idq́ue tamdiu fiat,quoad ijs indigere Congregationem Superiores iudicabunt. Loca verò in quibus Seminaria inſtitui debent,erunt, pro Prouincia Siciliæ Ciuitas Meſſana: pro prouincia verò Calabriæ Ciuitas Seminara,vel Roſſanum; & Vrbs Romana pro Monaſterio Cryptæ Ferratæ,in quo etiam fiat Nouitiatus:In prouincia verò Calabriæ fiat Nouitiatus in Monaſterio Sancti Philareti:in prouincia autem Siciliæ,in magno Monaſterio Sancti Saluatoris de Meſſana; & in Monaſterio Sancti Michaëlis de Traina.

De promouendis ad Ordines, tum minores,tum ſacros. Cap. XXII.

ORDINES eo modo, atque ordine ſuſcipiant, quo decreuit ſacroſanctum Concilium Tridentinum: ad Ordinem verò Sacerdotalem non priùs perueniant,quàm in Monaſterijs quintum annum poſt habitum religionis ſuſceptum attigerint, approbati priùs ab Abbate Generali,aut à Viſitatoribus, quæ quidem approbatio in ſcriptis ſigillo Congregationis munita appareat. Primo anno poſt profeſſionem minoribus initientur Ordinibus; ſecundo, Ordine Subdiaconatus; tertio,Ordine Diaconatus: quarto denique ad ſacerdotium accedant, ætate tamen ſuffragante.

De Cellerarijs eligendis,eorum officio,de pecunia cuſtodienda & inſumenda. Cap. XXIII.

CELLERARII ſeu Procuratores Monaſteriorum ad res temporales tractandas per Capitulum ge-

nerale deputandi,tales eligantur,qui in huiuſmodi officio inſtructi fuerint, & Ordinem Sacerdotalem ſuſceperint,ac ſaltem ætatis vigeſimumquintum annum peregerint, qui locũ poſt Magiſtros Nouitiorum immediatè habeant, nihilq́; faciant inconſulto Prælato,& ſemel ſaltem quolibet menſe de adminiſtratione officij ſibi impoſiti Prælato rationem reddant: idque etiam faciant ter ſaltem quolibet anno coram toto Conuentu: Atque regulam præfatam, tam ipſi, quàm Magiſtri Nouitiorum, tanquam magiſtram in omnibus, eo modo,quo nunc fuerit poſsibile, ſequantur. Tota pecunia, quam tum ipſi, tum alij ipſorum nomine exigent, ſtatim in communem arcam immittatur: in qua præterea cuſtodiri volumus pecuniam, quam aut ex reditibus Monaſterij, & eleemoſynis,aut aliunde conſequentur. Eadem arca duabus quoque diuerſis ſeris & clauibus occludatur;quarum alteram Prior,alteram teneat Procurator: Arca autem in Prioris cella ſeruetur. Quando pecunia in arcam infertur, Vicarius ſua manu notet eam in libro in eam rem attributo: pari quoque ratione notabit, quanta ex ea deprometur: nec, niſi pro rebus Monaſterio perneceſſarijs, inſumatur. Quicquid reddituum ad finem labentis anni ſuperfuerit, illud inter ſe Monachi partiri non debent, ſed communi Monaſterij vtilitati adſcribatur in rebus mobilibus,vel immobilibus, prout ipſa neceſsitas poſtulabit.

De ijs,qui in Monaſterijs viuunt,& nondum ſunt profeſſi. Cap. XXIIII.

PRAELATI ſtatim peracto Capitulo,cùm ad Monaſteria illis deputata peruenerint,nomine & auctoritate Capituli generalis,omnibus Monachis eorum curæ commiſsis, nõdum profeſsis, qui tamen annum probationis in Nouitiatu peregerint, vt quàmprimùm profeſsionem

nem emittant, præcipiant: de ſpeciali tamen gratia conceditur illis ſpatium trium menſium, vt maturiùs, atque commodiùs deliberare poſſint: quòd ſi poſtmodum elapſo menſe id facere noluerint, à Monaſterio eos eijciant, atque habitu Monachali expolient, & ad Ordinarios, ſi ordines habuerint, remittantur: quod quidem non priùs fiat, niſi de hoc ab Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Cardinale Protectore licentiam obtinuerint. Clerici verò, qui nondum Ordines ſuſceperint, & qui per id tempus in Monaſterijs reperti fuerint, eo modo, quo Nouitij per annum probentur, quo elapſo, ſi eos habiles Superiores inuenerint, ad profeſſionem admittant, ſin minus à Monaſterijs eijciant: interim diſtinctum habitum habeant à profeſſis, tam ipſi, quàm futuri Nouitij, eo modo, quo melius Superioribus viſum fuerit, dummodo caputia in capite teneant.

SECVNDA PARS DECRETOrum, de ijs quæ ad cultum Diuinum, & mores pertinent.

De officio recitando, & diligentia, ac reuerentia in Choro ſeruanda. Caput primum.

QVONIAM mens hominis perfectiùs cum Deo coniũgitur per ea, quæ directè ad eius cultum, & dilectionem referuntur, quàm per ea, quæ externis actionibus, etiam ad proximorum vtilitatem exercentur: maiorem etiam in ijs diligentiam, & attentionem adhibere neceſſe eſt: nam, ſi quæ, vel corporis ſeruandi, vel proximi iuuandi cauſa fiunt, etiam illa ſunt ad diuinum honorem referenda, iuxta illud Apoſtoli: Siue manducatis, ſiue bibitis, aut aliud quid facitis, omnia in honorem Dei facite: conſtat multo maiori reuerentia illa eſſe facienda, quæ ad ipſius tantùm honorem immediatè diriguntur. Propterea de diuino officio celebrando, atq; cæteris ad laudem, & Dei honorem pertinentibus aliquid ſtatuendum videtur: huiuſmodi enim pietas, quæ Dei cultus dicitur, admodum vtilis eſt: Quapropter ordinamus, atque ſtatuimus diuinum officium tam in Choro, quàm etiam priuatim, ab omnibus omni diligentia, atque deuotione horis ſtatutis eſſe celebrandũ, & quod nullus à Choro excuſetur, niſi propter charitatẽ iuſſu, aut permiſſu Prioris, quo minus intereſſe poſſit impediatur. Quòd ſi fortè aliquando Superiori de legitimo impedimento non expreſsè conſtiterit, curet qui ſic impeditur, aut per ſe, aut per alium ex ipſis Monachis, ſi ipſe nõ poteſt, vt Superiorem certiorem faciat, ne ſub aliquo prætextu vagandi

gandi

gandi detur occaſio. In Choro verò, cum omni grauitate, modeſtia, ſilentio, atque potiſſimùm reuerentia ſtetur cum timore; illud, quod ſcriptum eſt, ſemper præ oculis habentes: In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus: quatenus cum ſuaui guſtu pſallentes, atque Deum laudantes, de ijs meritò dicatur: Pſallite Deo noſtro, pſallite; pſallite ſapienter; cum guſtu ſcilicet, vt ipſemet Magnus interpretatur Baſilius. Et vt omnis cunctatio tollatur eorum, qui tardè veniunt ad Chorum, ad hoc vt diligentes ſint, ea remedia adhibeantur, quibus huic malo in regula cautum eſt: ita vt hoc diuinum opus, omnibus rebus meritò anteponendum, opportunis remedijs taliter muniatur à Priore, vt omnibus optimis modis diuinum officium, quàm diligentiſſimè celebretur. Proinde qui ſerò venient ad Chorum, genibus flexis tamdiù ante altare maneant, quouſq; à Superiore, vt ſurgant, ſignum factum fuerit: idemque etiam dicendum de his, qui tardè ad menſam veniunt.

De hora diuini Officij celebrandi. Cap. II.

HORAE diuini officij, tam in die, quàm in nocte à Superiore cum Dei timore fideliter diuidantur, atque diſpenſentur, quatenus diuinum officium rectè & perfectè celebretur, hiſque qui huiuſmodi operi interſunt, pro aëris intemperie, temporis, loci, ac perſonarum diuerſitate, ſic prouideatur, vt manifeſtum corporis detrimentum minimè patiantur, & id, quod corde, hilariter etiam & opere compleant; congruè tamen id fiet, ſi in hyeme octaua hora, in æſtate verò ſexta noctis hora ſurgant.

De Conuentuali Miſſa celebranda. Cap. III.

MISSA, vbi maior congregatio fuerit, quotidie cum cantu celebretur, niſi rationabiliter Superiori aliter viſum fuerit: Vbi verò minus, quàm ſex

numero fuerint, ipſius diſcretioni relinquitur, an cantanda, an verò ſubmiſſa voce celebranda: animaduertendum tamẽ, ne per negligentiam omittatur: Deputentur huic operi, vt rectè & deuotè adimpleatur, à prædicto Superiore quolibet anno ad id quàm maximè periti, vt Deus glorificetur, & audientes ædificentur.

De Sacramento Confeſſionis, & Communionis ſuſcipiendo. Cap. IIII.

CLERICI iuxta ſacros Canones, ſaltem bis in menſe, ſacramentaliter de omnibus ſuis peccatis, coram legitimo & approbato Confeſſore confeſſionem humiliter faciant: ac ſemel in menſe cum omni deuotione ſacram Euchariſtiam ſuſcipiant, vel Dominicis diebus, vel in ipſis ſolẽnitatibus, in quibus magis opportunum Superiori viſum fuerit, idque in Aduentu Domini, atq; Quadrageſima qualibet die Dominica facere teneantur, quatenus iis ſufficienter armati ad cætera peragenda, inimico humani generis depreſſo, alacriores in poſterum fiant. Horum autem confeſſiones audiat tantummodò Prælatus, Vicarius, Magiſter Nouitiorum, & Cellerarius ſeu Procurator: cæteri verò nequaquam, niſi de licentia Prælati, ſicuti ipſis magis expediens viſum fuerit.

De caſuum reſeruatione. Cap. V.

POSSINT Prælati iuxta ſacros Canones, potiſſimùm Concilij Tridentini, pro ædificatione & vtilitate animarum quoſdam caſus Epiſcopis, præſertim de iure reſeruatos, ſibi etiam reſeruare; ac alios etiam, ſi id viderint pro animarum ſalute prodeſſe; non tamen multos, ne fortè contingat animas, propter nimiam caſuum reſerua-

reſeruationem,miſerabiliter irretiri:imo eos in Domino hortamur,in his etiam caſibus Epiſcopis de iure reſeruatis, quoties opus fuerit, & à ſubditis fuerint requiſiti, pro vtilitate, ac ſalute animarum;ne auſteri, verùm benigni maximè ſint: vt inimicus humani generis de illorum auſteritate nō rideat, verùm potiùs pœnitentes de benignitate, quam maximè gaudeant:præcipuè verò Decretum Sanctiſſimi D.N. D.Clementis Papæ VIII. diligenter obſeruare curabunt, cuius tenor talis eſt.

Decretum Sanctiſſimi D. N. Clementis Papæ VIII. ſuper caſuum reſeruatione ab omnibus Regularium Superioribus obſeruandum.

SANCTISSIMVS D. N. qui iampridem accuratè perpendit,ac re ipſa comperit, quòd reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes, à peccatis quibuſdam grauioribus, niſi Superiores admodum prudenter,ac moderatè illa vtantur; nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo, conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſet in æternæ damnationis periculū,& ſpiritualis remedij deſperationem.Ideo,vt huic malo Sanctitas Sua opportunè proſpiceret, decreuit, vt nemo ex Regularium ſuperioribus peccatorum abſolutiones ſibi reſeruet, exceptis ijs,quæ ſequuntur,aut omnibus,aut eorum aliquot, prout ſubditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

Veneficia,Incantationes,Sortilegia.

Apoſtaſia à Religione,ſiue habitu dimiſſo,ſiue retento:quando eò peruenerit,vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat egreſſio.

Nocturna, ac furtiua è Monaſterio ſeu Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

Proprie-

Proprietas contra votum paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.
Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.
Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad aborſum faciendum poſt animatum foetum, etiam effectu non ſequuto.
Falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus.
Furtum de rebus Monaſterij ſeu Conuentus, in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.
Lapſus carnis voluntarius opere conſummatus.
Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſquam perſonæ.
Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à ſuperioribus ad inferiores, & ab inferiotibus ad ſuperiores.
Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia matura diſcuſſione & conſenſu.
Non liceat ſuperioribus Regularium Confeſsiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum admiſerint, aut ipſimet ſubditi ſponte, & proprio motu id ab iis petierint.
Superiores in ſingulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, ijque ſint docti, prudentes, ac charitate præditi, qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi, ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit.
Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperioritatis gradum fuerint promoti, ca-

ucant diligentiſſimè,ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in Confeſſione habuerunt,ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamē ſuperioribus determinare pœnitentias graues quibuſdam peccatis, etiam non reſeruatis, à Confeſſarijs imponendas,quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis cohibere poſsint.

Atque ita per quoſcunque Regularium ſuperiores, quicunq; illi ſint,obſeruari mandauit.Non obſtantibus conſtitutionibus,& ordinationibus Apoſtolicis,ac cuiuſuis Concilij, etiam generalis,decretis, necnon conſuetudinibus,etiam ab immemorabili tempore obſeruatis; aut regulis in generalibus, aut Prouincialibus Capitulis editis, ſtatutis,& conſtitutionibus,etiam Apoſtolica auctoritate confirmatis,priuilegijs,indultis, & conceſſionibus quibuſcunque, quorum tenores hìc pro expreſsis haberi voluit,cæteriſq; in contrarium facientibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum, die xxvj. Menſis Maij, Anno Domini M. D. XCIII.

De oratione mentali. Cap. VI.

CIRCA mentalem orationem faciendam,ſuperiores iuxta regulam de hora,atque duratione, ſicuti eis meliùs viſum fuerit, diſponant: hortamur tamen vt in hyeme poſt Matutinū; in æſtate verò poſt Nonam in choro per dimidium horæ ſpatium, ad minimum,ſimul ab omnibus fiat.

De clauſura Monaſteriorum ſeruanda: de cuſtodia ianuæ, & de ijs,qui exeunt à Monaſterio. Cap. VII.

VT honeſtatis pulchritudo ad contemplandum ap-

ta,& Deo & Angelis maximè accepta,illibata prò poſſe conſeruetur, Ordinamus, atque diſtrictè præcipimus ſub pœna priuationis officij, atque dignitatis, ſi Prælati neglexerint, vt clauſura Monaſteriorum à Prælatis limitanda, extra quã, ſub pœna carceris, nulli egredi liceat abſque licentia ſuperioris,omnibus horis cuſtodiatur, & potiſſimùm in nocte taliter vndique claudatur,vt ſcandalum,quoad fieri poterit,minimè oriri poſſit: clauesque penes Priores ſint, vel eum cui ipſi commiſerint,idque vt meliùs fiat,deputentur per Prælatos Monaſteriorum in quolibet Monaſterio ianitores, ex ipſis Monachis,ætate, atque aſpectu graues, prudentes etiam ad excipienda,& referenda reſponſa, qui iuxta portam die, noctuque habitent, atque dormiant,& oſtium ſemper clauſum teneant, nullumq; intrò admittant, niſi priùs habita licentia à ſuperiore;ſi tamen fuerint perſonæ alicuius dignitatis, eorum prudentiæ relinquitur, vt eas intrò recipere poſſint circa portæ atrium,ne fortè de nimia austeritate ſcandalizentur,quæ tamen vltra non progrediantur,niſi priùs conſulto ſuperiore.Mulieres autem cuiuſcunq; ætatis, conditionis,& dignitatis exiſtant, iuxta conſtitutiones ſanctæ mem. Pij Papæ V. & Gregorij Papæ XIII. & ſub cenſuris, & pœnis in eis contentis, intra ſepta Monaſterij nullatenus admittantur:in Eccleſiam verò ingredi poſſint; ibique diuina officia audire,modò Eccleſiæ extra clauſtra fuerint. Nulli etiam liceat extra Monaſterium dormire, nocte præſertim, niſi in itinere conſtitutis, qui de die non ſperant veriſimiliter ad Monaſterium poſſe peruenire. Ordinamus etiã, ne Monachi cauſa conſanguineos viſendi, aut alicuius negotij peragendi, iuſſu ſuperioris,aut de eius licẽtia Monaſterio exeuntes, ſoli incedant: verùm ſociati ſecundùm ſuperioris diſpoſitionem. Per ciuitatem etiam, aut caſtella incedentes chlamyde, aut cuculla induti ſint.

De modeſtia & religioſitate ſeruanda in verbis, & actionibus: & de pœnis transgreſſoribus conſtitutis.

Cap. VIII.

MONACHI honeſtatem, & religioſam modeſtiam in rebus omnibus vbique ſeruent, neque eam ſolùm in corde, & animo retineāt; ſed etiam exteriùs in ſermone, vultu, corporis motu, actionibuſque omnibus extrinſecùs religioſitas, vt par eſt, appareat: corripianturq; à ſuperioribus, qui ſecùs fecerint: puniantur etiam pro culpæ grauitate, qui verba inhoneſta, aut turpitudinem quoquomodo ſignificantia ex ore protulerint. Si verò aliquis per lapſum carnis in ſecundam perſonam, cuiuſcunque fuerit conditionis, perfectè, ac conſumatè deliquerit, ac manifeſtè conuictus fuerit, non modò carcere ad arbitrium regiminis mancipetur; verùm etiam nequaquam ſacramentaliter abſoluatur, niſi à Prælato; vel de eius licentia. Idem etiam cenſemus de percutientibus ſe inuicem notabiliter. Quòd ſi bis, ter'ue correpti non emendantur, non modò inhabiles ad quaſcunq; dignitates, in congregatione dari ſolitas, fiant; verùm taliter cōprimantur per carceris cuſtodiam, vt & ipſi eo modo, quo poſſibile fuerit, ſaluentur, & cæteri etiam exemplo illorum, non modò non contaminentur, verùm & prudentiores in poſterum reddantur.

De Ieiunijs ſeruandis. Cap. IX.

QVONIAM autem ad ſeruandam honeſtatem, & continentiam plurimùm confert corporis maceratio; ob eam cauſam, & vt arctiorem (quemadmodum religioſos viros decet) quàm cæteri de ſeculo, ſobrietatis rationem teneamus; præter ieiunia quadrage-

dragesimæ, vigiliarum, & quatuor temporum; præcepto Eccleſiæ inuiolabiliter ab omnibus ſeruanda; ſtatuimus etiam in Aduentu Domini, vſque ad feſtum Natiuitatis excluſiuè, quotidiè, Dominicis exceptis, ab omnibus eſſe ieiunandum eo modo, quo in Quadrageſima, necnon qualibet feria ſexta. De cęteris vero ieiunijs, quæ quiſque priuatim pro ſua deuotione ſeruare ſolet, permittimus vnicuiq; ſuam laudabilem tenere conſuetudinem.

De eſu Carnium. Cap. X.

ESVM carnium non omninò prohibemus, quemadmodum nec S. Baſilius expreſsè prohibet; ſed quia ipſe Sanctus Pater penè ſemper ad cibi, potuſq; ſobrietatem hortatur; idcirco ſtatuendum cenſemus, vt non ad guſtum oblectandum, ſed ad valetudinem, & vires ſuſtetandas eſu carniũ vtantur, neq; eo continuatim, ſed ter in hebdomada, & ſemel tantùm in die, videlicet vt Dominica, tertia, & quinta feria, prout meliùs ſuperior diſpoſuerit, cum gratiarum actione carnes comedant; Caueant tamen omni diligentia, ne corda manducantium crapula, aut ebrietate grauentur: poterit tamen ſuperior aliqua rationabili cauſa exiſtente circa hanc dierum rationem aliter diſponere ſecundùm Deum.

De lectione ad menſam, & ratione miniſtrandi. Cap. XI.

AD menſam interim, dum Monachi cibum capiũt, iuxta regulam nullo pacto deſit lectio ſcripturæ ſacræ, aut alicuius ſpiritualis ſermonis, ſiuè lingua Græca, ſiue Latina, ſiue vernacula, vt meliùs ſuperioribus videbitur, & vbi maior congregatio fuerit, continuè legatur à prin-

à principio, vſque ad finem, etiam in ſecunda menſa: Sin autem minor fuerit, ſaltem in principio, & fine ſecundùm ſuperioris diſpoſitionem. Quotidiè verò addatur aliquid de regula ad lectionem menſæ, quatenus ſimul & corda, & corpora cibo vtriſque conueniente paſcantur, ac iuxta regulam, quàm rectiſſimè actiones ſuas dirigere poſſint. Singulis verò hebdomadis à ſuperiore ſecundùm ordinem conſtituantur & lectores, & miniſtri ad menſam, ita vt omnes, & ſinguli in ordine ſuo legant, & Monachis inſeruiant.

De ſilentio ſeruando & recreatione. *Cap. XII.*

IN Choro, in Capitulo, Dormitorio, & in Refectorio ſemper ſileant Monachi, niſi forſitan ſuperioribus cauſa honeſtæ recreationis quibuſdam diebus aliter in menſa viſum fuerit; quæ quidem honeſtæ recreationes ſemel ſaltem in hebdomada concedantur, & extra Refectorium fiant in loco ad id opportuno, ſecundùm diſpoſitionem ſuperiorum, quatenus opus ſpirituale inceptum ſtrenuè magis perficiant. Silentio quoque poſt Completorium, & cœnam vacent, niſi ſuperior, rationabiliter tamen, prout viderit expedire, aliter iudicabit.

De communi labore, & opere. *Cap. XIII.*

AD communes labores, & opera, communiaq; exercitia, omnes ſimul accurrant, vt quia communis, iuxta regulam, debet eſſe illorum vita, communiter etiam perficiatur ab omnibus quicquid iuſſum fuerit, & quod ab vno expleri non poteſt, ab omnibus ſimul expleatur: ſi quid verò Monachi ex ipſorum operibus lucrati fuerint, iuſſu tamen ſuperioris, in communem vtilitatem conferatur.

De diſtribuendis in quolibet Monaſterio officijs.

Caput XIIII.

PRAETER id in principio cuiuſque anni à Priore ſingulis Monachis ſingula officia, atque exercitia diſtribuantur, cum conſilio tamen ſuorum deputatorum, Vicarij ſcilicet, Magiſtri Nouitiorum, & Procuratoris, quorum etiam cōſilio in omnibus rebus grauioribus vtatur, vt alij deputentur ad curam infirmorum, alij ad recipiendos hoſpites, illiſque miniſtrandum; atque alij alijs huiuſmodi exercitijs, ne Monachi otio vacent, vtque opera charitatis pro Dei amore, ac ſuperioris iuſſu adimplere ſtudeant.

De Capitulo tenendo quolibet Sabbato. Cap. XV.

PRAELATVS ſiue ſuperior quolibet Sabbatho ſemper Capitulum tenere ſtudeat, eoque Monachi ad ſonum campanulę poſt Primam conueniant, omneſque ſigillatim humiliter genibus flexis, capite diſcooperto, coram ſuperiore, de ſuis exceſſibus exteriùs cōmiſſis cum magna humilitate ſe accuſent: ſuperior verò, prout opus fuerit, admonendos admoneat, corrigendos corrigat, increpandos increpet, & puniendos pro animarum vtilitate, cum charitate tamen, puniat: Subditi verò prompto animo, ac cum omni humilitate quæcunque à ſuperioribus, iuxta præcepta Dei, S. Baſilij regulam, necnon & huiuſmodi ordinationes in Capitulis generalibus editas, ſeu promulgatas, illis fuerint ordinata, atque impoſita, tanquam medicinalia quædam remedia ad langüores animæ curandos ſuſcipiant; ipſis etiam in omnibus, tanquam Dei vicem in Monaſterijs gerentibus, & pro ſalute illorum vigilantibus, pro Chriſti amore obediant.

De Paupertate. Cap. XVI.

QVONIAM autem pauperem vitam in Monaſterijs, dum viuimus, gerere & abſque vlla rei cuiuſquam proprietate viuere, iuxta regulam Magni Baſilij, in profeſſione promiſimus corā Deo, & eius Sanctis, Statuimus ſub pœnis, & cenſuris in ſacris canonibus contentis, ipſo facto incurrendis poſt ſpatium ſex dierum à publicatione præſentium ſtatutorum numerandū, vt dehinc in Monaſterijs nemo quicquam proprium apud ſe habere præſumat, neque in pecunia, neque in poſſeſſionibus, ſi quas aliquis habuerit, neque omnino in re vlla: neque ſibi quiſquam retineat quicquam, quod ei poſſit commodè ad victum, & veſtitum neceſſaria ſubminiſtrare: omnia enim à Patre Monaſterij & habere, & ſperare debent, & cum illius tenere voluntate. Poterunt tamen Prælati in pecunijs & rebus, ſi quas aliqui Monachi habent, cum ijs diſpenſare, ne fortè maius malum oriatur, vt eas pauperibus parentibus, aut conſanguineis diſtribuāt: de cætero nemini concedātur.

Prælati iubentur Monachis neceſſaria ſubminiſtrare. Cap. XVII.

PRAELATI ac quicunque Procuratores, ſub pœna priuationis officiorum, ſic Monachis res Monaſterij ſubminiſtrent, ac diſtribuant, vt nihil deſit illis, quod neceſſarium ad victum, & veſtitum iuxta regulam fuerit, idq; etiam faciant in rebus alijs omnibus, quas minimè ab alijs ſperare debent.

Quid faciendum in ijs Monaſterijs, quæ neceſſaria Monachis ſubminiſtrare non poſſunt. Cap. XVIII.

IN Monaſterijs verò, quæ propter inopiam Monachis neceſſaria

ceſſaria ſubminiſtrare non poſſunt, quoad illis prouideatur, Prælati Monachis ita morem gerant, vt ſatis habeant ſcire tantummodo, quæ pecunia, quæ res, aut poſſeſſiones ab ijs teneantur: Monachiq; ſub ijſdem pœnis, atque cenſuris, nec non & priuatione illarum rerum Monaſterijs ipſo facto applicandarum, ſuperioribus quæcunq; poſsident fideliter manifeſtent, & cum illorum teneant, & expendant benedictione, & voluntate. Ea verò, quæ ex menſa conuentuali in bonis ſtabilibus, vel iuribus, & proprietatibus hactenus aſsignata ſunt, vel aſsignanda in poſterum erunt, aut quæ forſan à Commendatarijs, donec plenè menſa aſsignetur, pro eadem nunc erogantur ratione cuiuslibet Monachi, tam pro victu, quàm pro veſtitu, omnia in commune conferantur: & Pater Monaſterij omnibus, & cuique pro ſua neceſsitate prouideat ſufficienter.

De Veſtimentis, & rebus alijs, quas ſubminiſtrare Monachis neceſſe eſt. Cap. XIX.

VESTIMENTA Monachis congruis temporibus à Priore, Procuratoreq; benigno & grato animo dentur, vt omnis murmurandi occaſio, quoad fieri poterit, euitetur: quæ veſtimenta quolibet anno dari debent, prout vnicuiq; iuxta regulam opus fuerit, eiuſdem formæ, ac eiuſdem coloris, maximè extrinſeca omnibus, præter Abbatem Generalem, qui vbique pro officio atque dignitate mozzettam cum caputio geſtare poterit: nulluſque poſthac biretum neq; in Choro, neque in Refectorio in capite teneat: ſed omnes caputia ſcapulari vnita geſtare teneantur: Veſtimenta etiam non ad pompam, verùm illorum profeſſioni conuenientia, ac vnicuiq; Monachorum neceſſaria dentur. Interiora veſtimenta poſſint eſſe colorata, ita tamen vt partes, quæ exteriùs apparent, diuerſum colorem

ab

ab exterioribus non oſtendant: vt in omnibus vndequaque idem ſemper appareat; & quemadmodum eiuſdem debent eſſe voluntatis, ita ſint iidem omnes in veſtitu. Caligæ verò, femoralia, ac tunicellæ albi ſemper ſint coloris. Camiſijs laneis vti debeant, niſi de licentia Generalis, vel Viſitatorum propter aliquam corporis infirmitatem, vel neceſſitatem lineæ permittantur. Sic verò quolibet anno huiuſmodi veſtimenta à Superiore cum Dei timore diſpenſentur, ac diſtribuantur, vt ſuperfluum reſecetur, & quod fuerit neceſſarium libenter tribuatur: Dentur igitur ſingulis binæ tunicæ, totidem ſcapularia, tres tunicellæ, bina paria caligarum, ac totidem coretta, intus habeant femoralia, prout opus fuerit, tunicas vndique clauſas teneant latis manicis: Hæc & huiuſmodi, prout neceſſarium viſum fuerit, & ampliari, & diminui à Superiore poterunt. Cucullam etiam habeant, quam feſtiuis diebus, in Miſſa præcipuè, & Veſperis portare debẽt. Initio cuiuſque anni Priores Monachis ex optima tela duo ſudaria, ex mediocri verò fruſtum trium brachiorum pro eorum neceſſitatibus præbeant: ac etiam triginta cereas candelas, quibus ad ſuas cellas lumen portare poſſint, erogent. De calceis aũt, quoties opus fuerit, eis à Superiore prouideatur.

Cellas & arcas claue clauſas qua ratione Monachi teneant. Cap. XX.

MONACHI capſam clauſam tenere poſſint, ne fortè per furtum aliquid pereat; ſed claues toties ſuperioribus conſignent, quoties ab illo fuerint requiſiti. Cellæ verò ita claudantur, vt quoties opus fuerit, à ſuperiore, & non ab alio, communi claue aperiri poſſint. Lecti verò ita ſint, vt illorum vitæ, & ſtatui congruit. Monachique in illis dormiant veſtiti ſaltem cum tunicella, & ſcapulari, & cincti.

De

De cura Prælatorum circa harum rerum obſeruantiam. Cap. XXI.

PRAELATI verò ſi hæc,quæ dicta & ordinata ſunt, ſua culpa ad arbitrium ſuum neglexerint,ſciant omnino ſe officijs eſſe priuandos per ſuperiorem Regiminis,ac alijs pœnis arbitrariis puniendos: Proinde eos hortamur in Domino, vt tanquam Dei miniſtros dignos ſe præbeant illo gradu dignitatis, quem tenent: quod profectò facient ſi Dei auxilio freti toto conamine ea, quæ ad ipſorum officium pertinent,rectè adminiſtrare contendent:& ipſi omnium primi ſtrenuè, atque perfectè ſtatuta hæc, & regulas omnes obſeruent, & cæteros etiam hortando, atque præcipiendo obſeruare iubeant:rebelles ac obſtinatos,ſi opus fuerit auxilio Curiæ Epiſcopalis, vel etiam brachij ſæcularis comprimendo.

Has conſtitutiones, & regulas S. Baſilij legi debere in menſa,ſemel in hebdomada. Cap. XXII.

VT nemo circa huiuſmodi obſeruantiam, ac etiam executionem ignorantia ſe excuſare poſſit, Volumus,ac expreſsè mandamus omnibus, & ſingulis eiuſdem Congregationis Prioribus, ſub pœna ſuorum officiorum priuationis,vt illorum vnuſquiſq; in Monaſterio ſibi deputato præſentes ordinationes,in menſa, ſemel in hebdomada legi faciat, vnà cum compendio Regulæ S. Patris Magni Baſilij,per bo. me. Cardinalem Beſſarionem collecto.

ROMAE, Apud Impreſſores Camerales. 1598.

✝ Jul. Ant. Card. S. Severinæ, epus

epus Prænestinus, Prot?